Troiani adessent Cyrusque vellem, qui omnes, cæterûm tum nomine, tum robore præstantissimi, ac penè insuperabiles, superabiles tamen reddidit eos somnus. Hinc non immerito apud Træzenios Peloponenses Ardalus Vulcani filius aras ~~ex~~ erexit, super quas Musis, et somno Deo rem divinam faciebant, somnum affirmantes esse Deum Musis valde amicum, etiam nobis! Et ut evidentius somni divinitas, dignitasque elucesceret, tres ei assignarunt dedicaruntque poëtæ ministros, Morpheum, Icelonem, et Phantasum. Sed ô simplicitas, ô pietas poëtarum! tres tantummodo somni ministros designatis! non tres, sed triginta, non triginta, sed trecentos, nec trecentos, sed ter mille, neque ter mille, sed ter centum mille, imo plures assignandi sunt somno ministri, et quidem hi sui in officii munere parentissimi diligentissimique. Hæc dignitas, hæc inquam divinitas somni, quam vobis paucis admodum, ut initio spopondi, in tabulam delineavi, deinceps verò ad somni ingentem, amplissimamque